



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hyperdvlia Mariana**

**Berchmans, Johannes  
Canisius, Jacobus**

**München, 1636**

Omnibus Deuotis B.æ Mariæ Matris Virginis Sodalibvs Atqve Clientibus  
Salus A Domino & Domino Matre Sempiterna.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

Omnibus Deuotis

B<sup>æ</sup> M A R I Æ

M A T R I S V I R G I N I S

S O D A L I B V S A T Q V E

Clientibus Salus

A

Domino & Domini Matre  
Sempiterna.

**M**ERCURIALES viri, So-  
dalitates instituere amant  
vt collatis in consortium,  
opibus suam quisque rem augeat,  
amplificet, ornet : At vestrae me-  
lioris nimirum notæ Sodalitates  
eò pertinent, non vt Fortunæ, sed  
naturæ, sed gratiæ, sed animæ o-  
pes, nempe virtutes non sordido,

A 2

sed

## EPISTOLA

sed liberali, non iniquo sed prorsus æquo, non exili sed ingenti fœnore augeantur. Nam (teste Gregorio Nyss. hom. 11, de Beatitud.) talis diuisio virtutis est, vt & in omnes, qui eam amplectuntur & affectant, diuidatur, & cuiq; adsit vniuersa, inter participantes non diminuta. Nam in terrenarū quidem diuitiarum distributione, qui plus iusto ad se traxerit, iniuriam facit ijs, qui ex æquis partibus socij sunt, socij enim partem minuit prorsus is, qui suam plus iusto auxerit. Spirituales autem diuitiæ idem faciunt quod sol, qui sese & omnibus videntibus imperit, & totus omnibus accedit. Spirituales huiusmodi diuitias, nem-

## DEDICATORIA.

pe virtutes in consortium confer-  
tis, vt ingenti fœnore aucti, regna  
vobis non mortalia, sed immorta-  
lia, non caduca sed æterna, non  
foli, sed cœli comparetis.

Fuit huius vestræ Sodalitatis  
municeps Ioannes Berchmannus  
vester socius ( vt Hugo loquitur l.  
3. de anima ) amabilis, omnibus  
officiosus, nulli onerosus, deuotus  
ad Deum, benignus ad proximū,  
sobrius ad mundum; Domini ser-  
uus, proximi socius, mundi Domi-  
nus, qui Superiora habuit ad gau-  
dium, æqualia ad consortium, in-  
teriora ad seruitium, qui sic inter  
vos Hyperduliâ sua veneratus est  
Virginem Virginum, vt multis esse

A 3

possit

## EPISTOLA

possit exemplum, fidusque mundo novum, quod antea latuit, at in vestra quoque Sodalitate Parthenia innotuit. Hæc est enim rerum conditio (inquit Ennodius in Vita S. Antonij c. 4.) vt noui hominis mores diuulget inuenta Sodalitas, & qui ignoratur per originem, similibus clarescat affectu. Deprehenditur mens secreta per socios, & cui non licet ad liquidum superuenientis estimare conscientiam, conceditur vt de suis deprehendat externos.

Is ergo Berchmannus, quia Sodalitis vester fuit, est, erit, ideò eundem vobis afferro, offero, dico, dedico, sicut & me ipse ego vester in

Do-

## DEDICATORIA.

Domini Dominaeque clientela So-  
dalis, qui pauculas Berchmannicę  
Hyperduliaę Marianę species vitę  
eius exceptas in ordinem digessi,  
digestas ad Lectoris Auditorisque  
imitationem proposui, propositis  
præmia subieci, quo facilius imi-  
tatio earum persuadeatur: quis  
enim virtutem amplectitur ipsam,  
Præmia si tollas? cecinit Satyri-  
cus.

Atque hoc munusculum (quod  
munes Iani Kalendę suaserunt of-  
ferre) si non ingratum didicero  
maiusculum nec vnicum parabo,  
quod vestro nomini (Deo Deiq;  
Matre, & vobis fauentibus, adiu-  
uantibus, suffragantibus) inscri-  
batur. Discupio enim Canisij illius

**ĒPIST: DEDICAT:**

qui primus priore sæculo ingens  
Mariale scripsit, vestigia, si non æ-  
quis, saltem non iniquis passibus  
imitari, vobisque meis Sodalibus  
gratificari.

*Omniun̄ Vestrum Servus*

in Christo

**IACOBVS CANISIUS**  
è Societate Iesu.